DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DISQVIRENS
AN

ALTER CONIVGVM TESTAMENTO RENVNCIARE POSSIT VNIONI PROLIVM

QVAM
EX AVTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO DOMINO
DOMINO
IOANNE TOBIA CARRACH ICTO
IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ET FACVLTATIS IVRIDICAE
H. T. DECANO
PRO GRADV DOCTORIS
DIE III. OCTOBR. CIↃ IↃ CCL.
DEFENDET
AVTOR ET RESPONDENS
SAMVEL WEISBACH
HAMBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.




DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DISQVIRENS

AN

ALTER CONIVGVM TESTAMENTO RENVNCIARE POSSIT VNIONI PROLIVM.

PROOEMIVM.



Cum ex more non tantum huius ſed et cuiuslibet academiae ſit, vt antequam ad quosdam in vtroque iure honores perueni-re liceat, neceſſe ſit, vt Candidati thema aliquod publice defendant, coepi et ego de materia quapiam cogitare, quam mihi

tractandam sumerem. Et quoniam varie hicce casus diciditur, an alter coniugum per vltimam voluntatem vnioni prolium derogare possit, ita de hoc mentem meam in dissertatione inaugurali testari mihi proposui, illaque per summi Numinis clementiam a me elaborata, eam nunc publici iuris facio. Quam si B. L. fugitiuo oculo perlustrare dignaretur, multa sine dubio loca inueniet, quae deductionem meruissent vberiorem: enim vero quoniam dissertationem duntaxat inauguralem conscribebam, editionem integri tractatus euitandam fuisse censui, sicque breuitati studui. Materiam quidem quod attinet, me ea, quae iam scripta sunt, iterum rescripsisse, forsan quis existimauerit; et verum sane est, materiam hanc tam copiose tamque prolixe enucleatam exstare, vt nihil vix, quod non iam expositum sit, amplius restare videatur: verum partim nonnulla tamen adhuc dicenda mihi sunt visa, partim quoque animus meus eo non tetendit, vt videri voluissem, ac si hoc in passu singularia noua inuenta a me tradita sint; sed ego consuetum

ſuetum illud candidatorum aſſertum lubens profiteri volo debeoque: nihil fortaſſis dictum eſſe, quod non iam dictum ſit prius.

Videt ergo B. L. qua intentione a me elaborata ſit haec diſſertatio. Cuius autem praefatio operoſior, ne peccati aliquid portare videatur: iamiam materiam ipſam aggrediar, quae, ſi aliquali quodammodo iudicio compoſita atque explicata ipſi videatur applauſa et fauſtis omnibus, meas, pro exiguo ſtudiorum meorum cumulo primitias eo proſecuturus erit; quae autem minus recte a me dicta ſunt, ea ſtudio adhuc inculto ignoſcere, imo et pro lubitu emendare aeque ac corrigere velit. Diſſertatio enim haec Prudentis reſponſum non eſt, ſed diſputatio duntaxat inauguralis, quae potius Prudentum placitis quouis modo ſe ſubmittit.

§. I.

Successio pactitia imprimis inter coniuges intuitu introductionis sine dubio Juri Germanico originem debet. Nam cum confectio istiusmodi successorii pacti inter desponsatos vel coniuges Romanis plane incognita fuerit, et vxor de Jur. Ciuili, si omnes mariti cognati deficerent, in casu duntaxat inopiae succedere potuerit, atque pacta successoria, paucis casibus exceptis, non valuerint. Sic quoad introductionem fundamenti loco ponendum erit Jus Germanicum, vtpote quod vti pactis successoriis in genere ita in specie quoque iisdem inter coniuges indulsit, ob communionem bonorum inter coniuges vbiuis fere in Germania introductam, vel saltem reliquiae eiusdem tali pacto successorio occasionem dederunt, quod diu iam inter Germanos, antequam Jus ciuile Romanum receptum fuit, obtinuisse tradit STRYK a). Et licet de iure ciuili ob l. 5. C. de Pact. conuent. tam super dote &c. nunquam pacto, sed vel testamento vel lege hereditatem adipisci quis potuerit, ob fraudes nimirum captationesque, quae in Remp. Romanam admodum irrepserant, e contrario tamen de iure naturae, quilibet rerum suarum moderator et arbiter est, ita vt bona sua in quem velit transferre et eo modo alienare queat, prout suae intentioni quam maxime conueniens esse existimat, adeoque etiam in casum mortis; quod vero talis facultas alienandi de Jur. Nat. cuilibet domino competat, deduxit

PVF-

a) STRYK *de success. ab intest. Diss. 8. c. 1. §. 5.*

PVFFENDORF b). Quapropter si Respublica quaedam tale pactum successorium J. Nat. fundatum, vti a maioribus nostris in Germania obseruatum est, sibi opportunum esse perspiciat, nihil obstare, quo minus inter subditos istiusmodi pactum successorium vel ob consuetudinem, vel ob statum subsistere, et sic valere possit, exhibet MEVIVS c), imo quod introductum sit, obtineat, ac nondum exoleuerit, testimonii loco esse possunt statuta Hamburgensia, ita vt secundum illorum tenorem hereditas tum inter superstitem coniugem, tum inter liberos primi, secundi et tertii matrimonii accurate distribui debeat, prout in pacto successorio conuentum fuisse legitur d).

§. II.

Pactum est conuentio duorum vel plurium in idem placitum, carens nomine, carens caussa.

§. III.

Ex his sequitur. neminem secum ipso posse pactum inire, sed vt semper adesse debeant duo vel plures, qui inuicem paciscuntur. Hi similes cogitationes habere debent et sic consentire in idem placitum. In verbis, carens nomine et caussa, est differentia inter pactum et contractum. Nomine carere significat carere formula agendi: et haec est differen-

b) PVFFEND. *de J. N. et G. L. 4. c 9. §. 1.*
c) MEVIVS *ad Jus Lubec. P. 2 t. 1. n 107.*
d) *Stat. Hamburg. P. II. Tit. XI. Art. XI.*

differentia inter pactum et contractus nominatos. Carere caussa significiat carere praestatione; et est differentia inter pactum et contractus innominatos. In pacto enim futura praestatio stabilienda est, in contractu autem loquimur de praesenti. Contractus itaque est conuentio per se, et sua natura obligationem atque actionem producens. Iure Romano cum pacto aliter res se habet.

§. IIII.

Hodie nulla est differentia inter pactum et contractus ratione obligationis. Sum obligatus tam firmiter ex pacto, quam ex stipulatu e). *Sed solum ratione animi intentionis*, et hoc respectu oriuntur varii contractus.

§. V.

Per pacta paciscentes non solum obligantur, sed et saepissime tertius quidam e. g. parentes in pactis dotalibus, quae illis scientibus nec contradicentibus inita per vulg. iur. pr.

§. VI.

Quod sit nulla differentia hodie inter pacta et contractus ratione obligationis §. IIII. dictum, ex contractibus vero contrahentes firmiter obligantur per vulg. iur. ergo et per pacta.

§. VII.

e) MERTIVS *Pareem. Jur. 8.*

§. VII.

Vnio prolium eſt pactum inter coniuges, de iure aequaliter ſuccedendi liberorum diuerſi matrimonii in bona vtriusque coniugis.

Quod haec definitio ſit iuſta ex conceptu iam liquet, et praeterea conſenſu Doctorum de vnione prolium confirmatur, qui hac de re etiam definitiones conſtruxerunt a noſtra definitione non alienas. Licebit itaque nonnullas proferre ad ſtabiliendum aſſertum noſtrum. STRYKIVS *V. M. t. de adoption.* §. *10.* definit vnionem prolium, quod ſit conuentio parentum de liberis diuerſorum matrimoniorum ratione ſucceſſionis adaequandis, vt tam quoad patrem, quam quoad matrem pariter cenſeantur, ac ſi ex eodem matrimonio prognati eſſent. SCHAVMBVRGIVS in *D. t. de adopt.* *§. 8.* dicit: vnionem prolium eſſe pactum adquiſitiuum ſolenne vi cuius parentes cum liberis diuerſi matrimonii ſucceſſionem iuris communis communicant. BEYER *delineat. Iur. Germ. Lib. I. C. XXV. §. 1.* vtitur definitione, quod ſit pactum ſucceſſorium, quo liberi diuerſi matrimonii ad vtriusque parentis ſucceſſionem aeque vocantur, ac ſi ex poſteriori matrimonio geniti eſſent. Hoc ad iuſtificandam noſtram definitionem ſufficere iudico: reliquas explicationes tranſire ſicco pede permiſſum erit.

§. VIII.

In omni pacto requiritur conſenſus paciſcentium, ſi pactum eſſe debeat validum. Vnio prolium eſt pactum, ergo neceſſe eſt, vt adſit conſenſus paciſcentium.

§. IX.

Consensus qui requiritur vel expressis verbis declaratur vel per facta vel plane non: in casu priori dicitur consensus expressus, in secundo tacitus, vterque est verus, in posteriori per aequitatem praesumitur, et tunc consensus praesumtus audit. Vbi est consensus plurium in idem vel expressus vel tacitus vel praesumtus ibi est pactum.

§. X.

Hodie pacta firmum ius firmamque obligationem inter contrahentes vel paciscentes producunt §. 6. et quidem tricae iuris Romani in nostris prouinciis nunquam sunt receptae, sed aequitas in illis semper contra ius Romanum in hac materia autoritatem suam obtinuit.

§. XI.

Obligatio est necessitatio moralis f). Ad nonnullas obligationes possum cogi; nonnullae vero plane non admittunt coactionem. Si prius, obligatio externa in statu naturali, naturalis, in statu ciuili, ciuilis dicitur. Si posterius, internae obligationis nomine venit. De hac iam non est sermo: sed in materia pactorum, vbi de obligationibus loquimur, semper de obligatione externa ciuili hic agitur.

§. XII.

f) *Metaph.* BAVMGART. §. 723.

§. XII.

Ius hic pro qualitate personae sumitur, et est facultas moralis.

§. XIII.

Omne morale propius cum libertate connexum per prin. Meta. vbi ergo morale ibi et esse debet libertas, sublata libertate, tollenda etiam est moralitas.

§. XIV.

Quilibet videt, libertatem esse rationem moralitatis, nam ex libertate cognosci potest, cur sit morale. Ex quo cognoscibile, cur aliquid sit, est eiusdem ratio: ergo, libertas, est ratio moralitatis.

§. XV.

Omnes, quibus competit libertas de illis etiam moralitas praedicari potest, §. praec. ergo et facultas obligandi, hinc et ius.

§. XVI.

Vbi non est libertas, ibi cessat omne morale, hinc et facultas obligandi §. praec. hinc et obligatio ipsa et ius.

Ex his apparet impoſſibilitas obligationis dementis, furioſi, ſumme ebrii, infantis et animalis irrationalis etc. cum de his libertas non poſſit praedicari durante furore, dementia, infantia, ebrietate, in animalibus vero irrationalibus eſt abſolute impoſſibile, vt ſe poſſint obligare, quia nunquam illis ſpes eſt adipiſcendi libertatem.

§. XVII.

De diuerſis rebus pacta ineuntur. Res, de qua pactum initur, eſſe etiam poteſt hereditas. Si de viuentis hereditate pactum ineatur, hoc pactum dicitur pactum ſucceſſorium, in quo de ſucceſſione diſponit paciſcens. Is, in cuius fauorem hoc pactum initur, iam habuit ius ſuccedendi in hereditatem, vel non. Si ei iam eſt ius ſuccedendi ante pactum exiſtens, hoc pactum dicitur pactum conſeruatiuum, ſi non, pactum adquiſitiuum audit. Pactum ſucceſſorium adquiſitiuum vel bona paciſcentis concernit, vel bona tertii alicuius, caſu poſteriori dicitur pactum diſpoſitiuum.

Pacta ſucceſſoria interdum etiam per modum vltimae voluntatis ineuntur: quis vero non videt, ea improprie pacta ſucceſſoria vocari, naturam magis vltimarum voluntatum induentia, quam pactorum. Ex pactis paciſcentes ius quaeſitum ſtatim adquirunt, quod non eodem modo ſe habet in pactis per modum vltimae voluntatis initis, in quibus dicitur: voluntas hominis ambulatoria eſt vſque ad mortem; ergo diſponens a ſua diſpoſitione vſque ad mortem recedere poteſt. Deinde in his etiam teſtes requi-

requiruntur, si illis esse debeat effectus, qui non requiruntur in pactis proprie sic dictis. Differunt adhuc in aliis. Quia vero ad causam nostram, quam in praesentiarum agimus, haec sufficiunt, reliqua silentio praetermittam, et sufficiat monuisse, quod maiori iure pacta per modum vltimae voluntatis inita vltimis voluntatibus annumerentur.

§. XVIII.

Pacta non solum in fauorem contrahentium ineuntur, sed iure nouo etiam tertius ex pacto adquirere potest, quamquam acceptatio ab eo non sit facta. Pacta successoria adquisitiua aliquando etiam sunt pacta in fauorem tertii inita, ergo etiam tertio ex illis ius quaeritur, quamuis acceptatio ab eo non sit interposita.

§. XIX.

Pacta in praeiudicium tertii inita non habent effectum, nisi acceptatio efficaciter ab eo, de cuius praeiudicio agitur, accedat. Omnia pacta igitur in praeiudicium tertii inita ab eo autem non acceptata sunt pacta inualida. Si vero sint inualida is etiam in cuius fauorem sunt inita nihil ex illis consequitur, quia alias cum damno alterius locupletior fieret, quod reprobant iura nostra et aequitas.

§. XX.

Vnio prolium est species pactorum adquisitiuorum successoriorum. Sed etiam dici potest pactum renuncia-

tiuum. Vnio prolium initur inter coniuges, per definit §. 7. Ante pactum hoc initum priuignus non habebat ius succedendi in bona vitrici sui, vel nouercae suae: inito vero pacto gaudet eo iure simul cum liberis propriis vitrici vel nouercae, et hoc respectu est vnio prolium pactum adquisitiuum.

Secundum Nouell. CXVIII. liberis competit ius succedendi in omnia bona sui parentis et omnes propinqui ab illis excluduntur: quamuis iure nouo etiam coniux superstes pauper admittendus sit, in eo casu, si mulier a viro iniuste matrimonio eiecta fuerit g). Pacto de vnione prolium inito ius ex Nouell. CXVIII. liberis competens imminuitur, hinc aliquid de iure suo amittunt. Illud autem pactum, per quod quid iuris vel res amittitur, dicitur pactum renunciatiuum, ergo pactum de vnione prolium et quidem reciprocum est pactum renunciatiuum.

§. XXI.

Vnio simul esse potest pactum adquisitiuum et renunciatiuum. In vnione prolium prospicitur liberis, qui citra vnionem non habebant ius succedendi in bona vitrici vel nouercae §. 7. et hoc respectu vnio prolium est pactum acquisitiuum. Quatenus vnio ita consideratur, non necesse est, vt priuigni eam acceptent, quia in hoc casu prae-

g) HVBERVS *Prael. ad Inst.*

praefumtio loco acceptationis eft. Quatenus vero liberi proprii inde ius amittunt, vi cuius foli fuccedere poffent in bona omnia fui parentis, vnio prolium pariter eft pactum renunciatiuum. His in pactis vero, cum non praefumi per aequitatem quis poffit, quod admittere velit, fi conditio eius fiat deterior, acceptatio vt fiat, neceffe eft. Doctores etiam acceptationem neceffario requirunt fecundum iuris ciuilis principia h).

§. XXII.

Liberi vt acceptent vnionem, neceffe eft § praec. fi vero non in eo funt, vt acceptare poffint, v. g. Si laborent dementia, furore, aut adhuc fint infantes, aut minorennes, tunc tutores et curatores faciunt, quod liberis eft impoffibile i), i. e. curatores aut tutores acceptant vnionem.

Quamquam ab adoptione ad vnionem prolium non omnimode valeat confequentia, quia valde inter fe differunt adoptio et vnio, concludendum tamen eft ab ea ad vnionem prolium vbi eadem ratio inuenitur. In arrogatione tanquam fpecie adoptionis neceffe eft, vt autor fiat arrogatus k) hanc ob rationem, quia arrogandi conditio fit deterior, quatenus ergo conditio vnitorum fit deterior per vnionem, femper eorum aut curatorum aut tutorum confenfus i. e. acceptatio requiritur.

§. XXIII.

h) *Arg. l. vlt. C. de adopt.*
i) *Arg L. 8. de adopt.*
k) *L. 11. ff. de his, qui fui vel al. iur.*

§. XXIII.

Quum hodie pacta firmum ius firmamque obligationem producant §. 4. 6. vnientes ab vnione inita recedere non possunt.

§. XXIV.

Pacta, quae ineuntur, de rebus iniri debent, quae dispositioni liberae paciscentium subsunt. In vnione prolium de successione in bona vtrorumque parentum respectu liberorum diuersi matrimonii disponitur §. 7. hinc bona, de quibus vnio instituitur, dispositioni coniugum subesse debent.

§. XXV.

Si coniuges vnionem prolium per pactum celebrarint, vterque coniux per pactum hocce est obligatus §. 4. 6. et vterque adquirit ius; et quidem ius quaesitum, hinc irreuocabile; hinc pacto huic standum est. Nulli itaque paciscentium licet recedere a pacto, nisi paciscentes obligationes voluntarie sibi inuicem remittant.

§. XXVI.

Si testamentum ab uno contrahentium ante vnionem prolium exstat, existente postea pacto de vnione effectum habere non potest, si pacto est contrarium. Ex testamento heres in testamento denominatus ex eo superstite testatore non adquirit ius, sed solam spem, ergo testator ex testamen-

ſtamento non eſt obligatus, hinc eius voluntas ambulatoria vsque ad mortem l). Si pactum de vnione prolium ab eo ineatur, qui per teſtamentum iam de ſucceſſione in hereditatem diſpoſuit, is per pactum declarat mutationem voluntatis ſuae, hinc per pactum ſucceſſorium ſimulque per vnionem prolium teſtamentum infirmatur, hoc ergo nullum amplius habet effectum.

§. XXVII.

Pacto de vnione exiſtente vniens de proprietate, quoad alienationem inter viuos, diſponere amplius non poteſt, quia per vnionem liberis vnitis ius ſuccedendi oritur, ſi acceptauerint §. 21. Fructus ad dies vitae ex bonis ſuis percipit, quae vnio afficit, quia vnio modo de proprietate non vero de fructibus, quousque vniens viuit, initur per def.

§. XXVIII.

Neque mortis cauſſa diſpoſitio ei eſt ſalua. Liberi qui vniuntur dicuntur vniti. Vniti vel referuntur ad vnientem a quo ſunt procreati vel non: ſi prius, vniti nominantur proprii; ſi poſterius vnitorum non propriorum nomine veniunt. Vnitis propriis ſine pacto de vnione eſt ius ſuccedendi in bona vnientis vel per teſtamentum vel ab inteſtato. Vnitis vero non propriis ſine hoc pacto ius ſuccedendi non competit: vtrique tam vniti proprii quam non proprii exiſtente pacto, ſecundum id ſuccedunt, per pactum vero firmum adquiritur ius §. 4. Ergo teſtamentum contra vnionem prolium valere non poteſt.

§. XXVIIII.

Multi putant, vnionem prolium et adoptionem in plu-

 rimis

l) *L. 4. ff. de adimend. vel transf. L. 22. pr. ff. de legat. 3.*

rimis conuenire, sed frustra. Vnio prolium sola successionis communicatione determinatur §. 7. in adoptione vero non solum agitur de successione, sed adoptio etiam patriam potestatem et omnia filiorum iura tribuit. Magnam igitur differentiam inter adoptionem et vnionem facile quisque perspiciet. Accidit saepissime, vt personae quaedam matrimonium contrahant, quarum aut vtraque aut altera solum iam ex priori matrimonio liberos habet. Si posterius quoque contingat, semper tamen spes adest in matrimonio liberos procreandi. Quo nunc dissidiis inter diuersi matrimonii liberos orituris iretur obuiam, hocce pactum antiquis Germanorum moribus fuit introductum m). Nam sine hocce pacto liberi prioris matrimonii non fiunt heredes alterius coniugis, quia liberi proprii eos excludunt, et quia sunt affines, affinium vero nulla est successio. Quam ob caussam moris fuit apud Germanos liberos diuersi matrimonii ratione successionis in bona vtriusque parentis adaequare per vnionem prolium, quo vtrisque parentibus, tam patri quam matri, succedere possint.

§. XXX.

Requiritur in vnione prolium decretum magistratus n). Quamquam in pactis successoriis alias non requiratur decretum magistratus o), hodie tamen eo iure vtimur, vt magistratus decretum requiratur, quod ius per consuetudinem introductum, de interponendo decreto, priuato ausu immutari

m) MVSCVL. *ad vniuers. Ius 23.*

n) SCHILTER. *Exerc. 8. th. 40.*

o) *Arg. l. 6. Cod. de prael. et al. reb.*

tari non poteſt. Et cum conſuetudo vim legis habeat, ergo vnientes tenentur adhibere decretum magiſtratus.

§. XXXI.

Propinqui vt conſentiant, neceſſe eſt p) in vnione prolium. In omnibus pactis requiritur alias eorum conſenſus quorum intereſt, iam omnium proximorum propinquorum intereſt, quia certo modo priuantur iure ſuccedendi in bona propinqui, quae ex parte in extraneum deuoluuntur, puta in vnitum non proprium, ergo, vt conſenſus eorum accedat, neceſſe eſt.

§. XXXII.

Vt fiat vnio prolium coram iudice competente, vt accedat cauſſae cognitio, ne liberi laedantur, vt inſtrumentum deſuper conficiatur et archiuo publico inſeratur, tutius eſt, quia in multis locis receptum eſt.

§. XXXIII.

Inter vnionem prolium et contractum ſocietatis magna etiam intercedit differentia. Societas diſſoluitur vnius ſocii morte, tam naturali quam ciuili q), nec non renunciatione vnius ſocii r); quae omnia non ita ſe habent in vnione prolium. Siquidem non poſſumus ſuſtinere, dicere, vnionem prolium diſſolui vnius coniugis morte, aut renunciatione vnius vnientis: cum ſucceſſio liberorum vnitorum aequalis, tanquam finis vnionis prolium, plene non prius obtineatur, quam mortuo vtroque

C 2 con-

p) *Arg. L. 39. de adopt.*

q) *§. 5. Inſt. L. 63. §. vltim. ff. de ſociet.*

r) *§. 4. Inſt. de Societ.*

coniuge vniente s). Aliter eſt, ſi vnio prolium expreſſis verbis ad tempus coniugii reſtricta, vel plena diuiſio poſt mortem vnius coniugis inſtituta ſit realiter. At poſito eiusmodi caſu, vnio prolium ita inita extinguitur morte illius, qui liberos ſibi adſciuit, non item alterius e. g. cum maritus liberis orbatus, liberos ſponſae ex priore matrimonio ſuſceptos cum liberis noui matrimonii exaequat, vt aequaliter ſibi ſuccedant, vnio prolium morte non matris ſed patris finitur.

§. XXXIV.

Liberi non habent ius exigendi bona, quae afficit vnio, viuo adhuc vniente. Liberi vniti per vnionem liberorum propriorum in ſucceſſione ius nanciſcuntur ſi ſint vniti non proprii: ſi ſint vniti proprii illorum ius per pactum de vnione tantummodo confirmatur. Cum autem liberi proprii non habeant ius exigendi viuentis hereditatem, et vniti vel proprii vel non proprii id habere non poſſunt, viuo adhuc vniente.

§. XXXV.

Conſtitutio Moguntinenſis, quae a Friderico III. anno 1450. publicata, eſt norma et regula diiudicandi vnionem prolium nonſolum in Camera Imperiali ſed et alibi t). In Auguſtiſſima Imperiali Camera magis pro vnione prolium, quam pro teſtamento ſententia fertur.

s) *lege 138. ff. de R. I.* STRYK *de ſucceſſ. ab inteſtat. Diſſ. 1. c. 4. §. 20.*

t) GAILIVS. *L. 2. obſer. 125. n. 7.* CARPZOV. *Lib. 5. Reſp. 6.*

T A N T V M.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO

ATQVE

CONSVLTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Quemadmodum nihil magis naturale est, quam vt salua cuique sit sentiendi libertas, quousque quis ea non abutitur in reipublicae aut religionis detrimentum: ita sane eadem Candidatis in eligendis sibi et elaborandis dissertationibus inauguralibus eo magis indulgenda est, quo durior eorum foret conditio, si hac in parte a Decani penderent nutu, qui facilius ab hoc, diuersa licet sentiente, iuuantur, quam vt huius argutias defendere queant. Id TIBI quoque, VIR PRAENOBILISSIME, qui forte me Facultatis Iuridicae h. t. Decano, ab Ordine Inclyto honores Doctorales impetrare desiderasti, concedendum eo lubentius

 duxi,

duxi, quo minus a me imbutus es doctrinis, adeoque parum opportunum videtur commentationem quandam a TE in conflictu inaugurali propugnandam TIBI obtrudere. Postquam enim integrum triennium in academia Fridericiana in Philosophiam pariter ac Iurisprudentiam impendisti, feliciter hoc stadium emensus Wetzlariam TE contulisti, ibique praxi Camerali Imperiali addiscendae per annum nauasti operam. Cumque hucusque res istae prospere TIBI cesserint, practicae vitae in posterum quoque TE totum dedisti, et quo rebus TVIS melius consulas ad Doctoris in vtroque Iure honores adspirasti, quem in finem examina non solum sustinuisti, sed etiam dissertationem inauguralem proprio Marte prorsus a TE elaboratam mihi obtulisti. Hanc ergo nunc publice defendendam TIBI reddo a me prorsus non delibatam, neque eidem quicquam ex iis, quae ego hac in causa sentio, interpolaui, sed malui, vt peculiares prorsus habeas TVAS lucubrationes, ne vlla ex parte TIBI opus sit separationis beneficio. Non dubito caeterum, quin labores TVOS in ipso conflictu disputatorio mascule sis propugnaturus, sed potius summos in Iure Honores TIBI statim conferendos gratulor, atque vt reliqua omnia ex sententia TVA in futurum quoque fluant, ex animo adprecor. Vale. Dab. Halae Magdeburgicae die XXX. *Sept. Anni* CIↃ IↃ CCL.

CON-

CONSVLTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D.

IOANNES PHILIPPVS CARRACH

IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR.

Non mediocri profecto iucunditati mihi fuit, quod, vbi arctius foedus firmioremque coniunctionem cum Themide sancire statuisti, me pro subeundo paranymphi officio quam humanissime adieris: qua de re non potui, quin oriundam exinde animi mei elationem vel tabula hac publice significem, TIBIque, CONSVLTISSIME CANDITATE, honores, quibus initiandus es, fortunatos ominer auspiciatosque. Direxisti omnino vitam ad eiusmodi rationis normam, quae ciuitati salutaris eiusque commodis aptissima, quum interim ad causarum dictionem animum rectis studiis et artibus hucusque ita praecultum reddideris et praeparatum, vt feliciori successu in splendidissimam arenam Wezlariensem TIBI nunc sit descendendum. Festis itaque vocibus TE in praesentiarum gratabundus excipio. Fluant TIBI omnes res supra votum, non ancipiti quid suscipias fortuna, verum quaecunque TIBI secunde procedant. Det vtique DEVS immortalis TIBI dies luculentos, omnesque candidissimo notandos calculo. Caeterum nec in me voluntatis inclinatione propendere desinas, qui iterata vice sollemne istud TIBI acclamo: Feliciter, quod agis! Omnia ergo profluenter, absolute, prospere! Vale! Hallae Salicae VI. *Nonas Octobris A. R. S.* cIↃ IↃ CCL.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO

ET

CONSVLTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

ERNESTVS FRIDERICVS KNORRE

IVR. VTR. DOCTORAND. OPPONENS.

Amicitia Tua desideratissima, VIR CONSVLTISSIME, qua me, cum apud nos vitam viueres academicam, dignari TIBI placuit, nil iucundius, nil acceptius mihi esse potuit. Quoties enim familiaritate Tua vsus sum; toties singularem discendi ardorem, summum cognitionem Tuam in dies adaugendi desiderium, nec non morum suauitatem eximiam in TE deprehendi. Et inde fit, vt magna cum voluptate illa tempora recorder, nec sine lætitia ea in mentem reuocem, quibus iisdem doctrinis iisdemque praeceptoribus instituti sumus. Semper enim

in-

induſtrium TE praebuiſti Auditorem Tuis Doctoribus, nihilque feciſti reliqui, vt quaeuis vtilia ab iis proponi ſolita in Tuum conuerteres vſum. Sed effluxerunt dies iſti. Adſunt alii celebriores, fortunae Tuae inſeruientes eamque inſigniter promouentes. Inter quos hodiernum praecipue iam nomino, qui et praeſenti ſcriptioni anſam dedit. Cum enim peracto ſtadio academico, noſtras muſas relinquens, Wezlariam TE eo animo contuliſti, vt Praxin Imperialem *magis magisque TIBI redderes cognitam atque perſpectam, res ſucceſſit feliciter. Quid mirum itaque ſi poſt ſesquiannum ad nos reuertens iam hodierna luce, ex iudicio eorum, qui vires aliorum explorare optime norunt, vt digniſſimus honores doctorales accipias. Amicitiae noſtrae leges et mihi iniungunt, ne hunc diem TIBI ſolemnem, aliis honoribus viam mirifice ſternentem, tacens praeteream. Agam itaque, quae officia, quibus TIBI teneor, poſtulant exiguntue. Gratulor nimirum TIBI, non ex conſuetudine, ſed ex intimo pectoris fonte honores quibus exornaberis hodie. Patria iam intelligit, TE ſpem, quam ab ineunte aetate de TE conceperat, non ſolum non fefelliſſe, verum maxima ex parte ſuperaſſe. Ego ex animo opto, vt quaeuis conamina TIBI cedant feliciter. Viuas floreasque per multos annos, vt decus patriae, vt ornamentumm reipublicae litterariae certiſſimum. Ceterum vale, mihique, quod facis, faue. Dabam Halae die* III. *Octobr.* clɔ Iɔ CCL.

* * *

o muß ein feindlicher Glanz, gleich einem gefräßigen Strome,
Der räubrisch grundlose Hütten ereilt
Und hungrig verschlingt, so muß er, wenn er der zögernden Dämmrung
Sterben zuhaucht, daß ihr bebender Fus
Kaum schlafende Haine erreicht, die leichten Schwingen des Schlafes
Womit er der Seele die Träume zuweht,
Umschleichen, und ihn wehrlos in prächtige Kerker verschwemmen,
Wo ihn die Wollust verschwendrisch genießt.
Ihn, der mit würksamer Linken einen Schleier der Traurigkeit zuwarf
Aus mitternächtigen Schatten gewürkt;
Der sie meinem Auge verbarg: Und dessen schöpfrische Rechte
Träumen, die sich an der Möglichkeit Rand
Zweifelhaft wälzten, das Daseyn zuwinkten: daß sie hin zu mir
Jugendlich hüpften, und um mich herum
Bald muntere Scherze jagten, und Freuden; bald mir Gedanken,
Die ich nur dachte, als mich mein Freund

Noch

Noch göttlich küßte, Gedanken, die ich nie wachend mehr fühle,
Zulispelten; bald aber das Bild
Meines Freundes mir zeigten, und schalkhafft auf meinem Lager verloren.
Kehrt die Betrübnis denn zu mir zurük
Und sieht die gaukelnden Freuden, so glaubt sie zu irren, weil sie mich
Einsam nur Tage hin weinen sah;
Und Seufzer, die auch kein Widerhall hörte, in einsamen Mauren
Versperrt, sich drengten, und sich zurük
In ihren Ursprung stürzten. So schuf mir der Schlaf, umflossen
Von Leiden, die mit mir erst vergehn,
Augenblikke der Freude. Doch die sind zu lang. Ein neidischer Schimmer
Gönnt mir den Irrthum nicht, der mich vergnügt.
Er quält mich mit Warheit = = = = Wie? ist ers? ist denn mein Freund gar vergöttert,
Daß er auf Flügeln des Lichtes sich wieg?
Ihn meldet der Glanz. Um seinen Schlaf krümmen sich heilige Reiser,
So wie sie die Weisheit den Söhnen ertheilt

Die ihr nie wechselnder Flug bis auf den göttlichen Berg trägt
Wo man aus Wolcken die Welt übersieht.
O Freund! zu gros meinen Wünschen, ich kan dich nur noch bewundern,
Steig in die göttliche Wohnung zurük!
Doch, wär es doch möglich, daß sich durch diese schwindelnden Höhe
Dein Blik von deinem Freunde verliert?

F. P. B. Taute I. U. C.
opponens.

